

procul dubio derogatur, » c. *Pastoralis* 14. de *Rescript.*, juncta reg. 34 juris, in 6, cum concordantiis. Atqui non est rarum, quod a rubrica generaliter loquente, postmodum excipiantur casus speciales: sic quippe cap. 1, *Ne sede vacante aliquid innovetur*, in 6, ab hac rubrica generaliter loquente, excipitur collatio præbendarum, communiter spectans ad episcopum et capitulum. Similiter L. un. c. de *Præbendo salario*, lib. X, haud obstante quod rubrica videatur esse affirmativa, subjungitur in nigro casus, in quo illud non est præstandum. Abbas in cit. proœmio, *Rex pacificus*, n. 8. Jason, ubi supra, n. 12, et alii. Insuper, quod posteriora et ultima derogent prioribus, patet ex c. 1, de *Constit.* in 8, et l. *Pacta novissima*. C. de *Pactis*, cum similibus; ergo idem fiet in casu, quo nigrum est contrarium rubro.

98. *Rubricæ quedam continent perfectum sensum, aliæ non.* — Quod si vero rubrica consonet nigro, tunc ea vel continet perfectam orationem, ut hæc: « Ne sede vacante aliquid innovetur: Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur: Ne clerici, vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant: Ne quis in sua causa judicet, vel jus sibi dicat: Ut nemo invitus agere, vel accusare cogatur, » et aliæ hujusmodi. Vel non continet sic perfectam orationem; ut illa: « De summa Trinitate, et Fide catholica: de Constitutionibus: de Rescriptis, » et consimiles. Si primum, tunc rubrica illa, utpote perfectum sensum continens, simulque authentica existens, potest allegari non solum ad effectus sequentes, sed etiam dispositive; prout quotidie allegantur rubricæ illæ, « Ne sede vacante aliquid innovetur; Ne quis in sua causa judicet, » et consimiles. Secus est dicendum de aliis rubricis non continentibus perfectam orationem: hæ enim non possunt allegari dispositive (de nullo enim disponunt, ob imperfectionem sensus, sive orationis, quam habent) bene tamen declarative, et ad alios effectus illico referendos. Unde

99. *Rubricæ possunt utiliter allegari, I dispositive, II declarative.* — Resp. III. Rubricæ authenticæ utiliter possunt allegari ad quatuor potissimum effectus, I *dispositive*, dummodo contineant perfectam orationem, ut proxime dictum; II *declarative*, nam quotiescumque verba canonis, legis, vel statuti, ideoque nigri, sunt obscura, vel ambigua, possunt ac debent ea declarari per rubricam præcedentem. Glossa L. 1, §. *Retractare*. C.

« Ne liceat in una eademque causa tertio provocare: » ubi inquit: « Et quod sic sit intelligenda lex, probat rubrica. » Jason, loc. cit. n. 2. Abbas, ubi supra, docens quod quando ex una lege, vel uno canone eliciuntur variorum lecturæ, accipienda sit illa, quæ congruit rubro, juxta glossam in c. *Cum monasterium*, §. *Postulantis*, de *Election*. inferentem ex rubrica illius capituli, quod ibi facta sit electio, et non mera postulatio; cum illud non ponatur sub rubrica de *Postulatione*, sed de *Election*.

100. *III Extensive.* — III. Extensive: nam rubrica generalior nigro, et habens perfectam orationem, debet attendi, ac sufficit ad decisionem causarum, et non restringitur per nigrum magis speciale, sed potius istud ampliat; dummodo hoc intelligatur sub certis limitationibus. Ita fuse card. Tuschus, litt. R. concl. 370, n. 1, et seqq. Jason loc. cit. n. 3, et seqq. Albertus Brunus Astensis, tom. II. *Tractat. tract. De Statutis*, art. 8. n. 94, ac seqq. et alii, quos citant, post Glossam l. un. C. de *Capitatione civium censibus eximenda*, lib. II. Et merito: siquidem rubrica, habens orationem perfectam, habetur pro textu. Proinde Jason n. 8, post Salicetum, hoc exemplificans infert, quod si rubrica statuti diceret, quod in causis laboratorum et notariorum procedatur summarie, et in nigro statuti nulla fiat mentio de notariis, idem tamen judicandum sit de notariis, cum rubrica generalior generaliter intelligi debeat. Favet textus in l. 1. C. de *divers. Rescrip.* juncta l. *Titia*, §. 2, ff. de *Verb. obligation*. ubi notatur, quod ea, quæ in præfationibus dicuntur, in sequentibus repetita intelligantur.

101. *Dummodo inde non insurgat correctio nigri.* — Additur notanter, « dummodo hoc intelligatur sub certis limitationibus. » Nam imprimis hoc limitandum est, nisi intelligendo rubricam generaliter, insurgeret correctio nigri, sive contradictio inter rubricam et nigrum: tunc enim nigrum, veluti posterius, et magis speciale, magisque deliberatum, restringit rubricam, ut dictum n. 97. Accedit alia ratio, quia ita demum rubrica generalior declarat nigrum, illudque ampliat, quando nigrum est dubium: si autem est clarum, prævalet rubricæ et non recipit interpretationem, sive ampliationem ab ipsa. Card. Tuschus, loc. cit. post Romanum, consil. 104, n. 5.

102. *Nec aliud obstet.* — Limitandum est secundo, nisi consuetudo practica, vel stylus sit contrarius. Siquidem consuetudo est op-

tima legum interpres, c. *Cum dilectus*, de *Consuetud.* et l. *Si de interpretatione*, ff. de *Legibus*. Aut nisi talis rubrica generalis extenderetur ad aliquid durum, vel iniquum, contra vel præter significationem verborum, et mentem statuentium: nam in materia odiosa, locutio indefinita non æquipollet universali, imo strictissime debet intelligi, c. *Odia*, de *reg. juris* in 6, junctis illis, quæ notantur in l. *Venia edicti*. C. de *in jus vocando*. Jason, n. 7. Astensis, loc. cit. n. 96, card. Tuschus, et alii.

103. *Et IV arguatur ex situatione, sive ordine rubricarum.* — IV. Rubricæ authenticæ utiliter allegantur, arguendo non solum ex verbis (modo hactenus declarato) sed etiam ex situatione, sive ordine ipsarum rubricarum, interpretando videlicet textum, sive nigrum, ut conveniat titulo, sive rubricæ, sub qua situatus est. Abbas, loc. cit. et c. *Bonæ*, §. fin. de *Confirmat. utili. vel inut.* Jason, n. 14, et alii, post Glossam, variis in locis proxime allegandis. Neque enim in jure aliquid inordinatum, incorrectum, aut superfluum admitti debet, contra proœmium decretalibus præfixum.

104. *Ex plurimis lecturis ejusdem canonis prævalet, quæ magis convenit rubricæ, sub qua canon ille situatur.* — Infertur proinde cum cit. Abbate, quod ubicumque plures lecturæ possunt elici ex uno textu canonis, legis vel statuti, illa sit amplectenda tanquam verior, quæ magis convenit, et adaptatur rubricæ, sub qua textus ille situatur. Et hic est unus modus arguendi a situatione rubricæ. Exemplum hujus habetur ex cit. c. *Bonæ* ubi Glossa, §. *Tamdiu*, ex hoc infert, quod ibi fuerit facta per Papam simplex confirmatio alicujus sententiæ, absque eo quod super observatione illius sententiæ litteræ commissionis ad judices impetrarentur. « Alias (inquit Glossa) quare fuisset posita hæc decretalis in titulo isto, de *Confirmatione utili, vel inutili*? Potius debuisset poni in titulo, de *Appellatione*, si deberet intelligi secundum illam decretalem *Oblatæ, de Appellat.* » Hæc Glossa.

105. *Alius modus arguendi ex situatione rubricarum.* — Alia ratione licitum est arguere ex situatione, seu ordine rubricarum, inferendo pro contentis sub rubrica rationem, seu qualitates ipsius rubricæ. Hinc Glossa in c. *Tibi qui*, 12. §. *Certo*, de *Rescript.*, in 6. et *Clem.* un. §. *Executores*, de *Officio delegati* recte infert, quod executores a Sede apostolica deputati habeant delegatam jurisdictio-

nem, eo quod materia de executoribus ponatur sub titulo, de *Officio delegati*: ut habetur in c. *Si super gratia*, 9 de *Officio delegati*. in 6, et *Clem.* un: eod. Insuper, quia materia conservatorum, quos Sedes apostolica concedere solet ad defendendum sibi commissos a manifestis injuriis et violentiis, etiam ponitur sub titulo, sive rubrica, de *Officio delegati*; prout liquet ex cap. 1. et 2, cap. ult. eod. in 6. Hinc Glossa, cit. cap. 1, §. *Conservatores*, de *Offic. delegat.* in 6, et doctores passim recte inferunt etiam conservatores habere jurisdictionem delegatam: alioquin enim eorum materia male poneretur sub rubrica, de *Officio delegati*. Abbas in proœmio, *Rex pacificus*, cit. n. 8, et cap. ult. n. 22, de *Sen. et re judic.* ubi similem illationem facit: « nam valet (inquit) argumentum a situatione rubricæ, ut not. in c. *Tibi qui de Rescript.* lib. V, et c. *Si super gratia*, de *Offic. Delegat.* in 6, et c. *Bonæ*, de *Confirmat. utili.* »

§ VII.

DE SUPERScriptionIBUS, ET SUMMARIIS CAPITULORUM, AC SUPERFLUITATE VERBORUM VI-TANDA.

106. *Summaria capitulorum non sunt de textu.* — Quæritur I. Cujus auctoritatis existant superscriptiones, ac summaria capitulorum? Resp. I. Quantum attinet ad summaria, quibus nimirum Capitula summantur, horumque contentum in brevem summam redigitur: ea non sunt de textu, sed pro majori legentium commoditate primum addita fuerunt ex scriptis diversorum doctorum, præsertim Abbatis Panormitani, Joannis Andreae, Dominici, et aliorum, qui in ipsismet summaribus non raro allegantur. Patet proinde quod hæc sint quædam doctrinalia, sed vim authenticam, et decisivam in judiciis non habeant, nisi in quantum concordant cum textu subsequenti.

107. *Tamen sunt habenda in magna æstimatione. Quomodo ea differant a notabilibus?* — Quia vero summaria constituuntur ex his, quæ canonum, sive legum expressa verba sonant: et per hoc differunt a notabilibus, qualia sunt constituenda ex illis, quæ tacite intelliguntur, ut ait Ant. Massa Gallesius tom. I. *Tractatum*, tract. de *Exercitatione Jurisperitorum*, lib. III, n. 70, merito summaria in magna æstimatione sunt habenda.

108. *Superscriptiones capitulorum sunt au-*

thenticæ, et n. seqq. — Resp. II. Superscriptiones capitulorum in decretalibus positæ existunt authenticæ, atque ex illis in jure validum est argumentum. Ita Petrus a Monte, tom. XIII. *Tractatum*, tract. *De potestate pontificia*. § *Quinto quero*, n. 2, post Glossam in c. *Quorundam*. 24. §. *Prædicatorum, de Election.*, in 6, et alios communiter. Ratio est clara, quia totum volumen *Decretalium* a Papa est approbatum, et in ipso omnia superflua sunt resecata, ut liquet; ergo, cum relictae sint superscriptiones capitulorum, etiam ipsæ censentur authenticæ, sicque valent argumentum ex ipsis depromptum.

109. *Sedes patriarchales, quæ?* — Hinc, quia in c. *Constitutis*, 23, de *Appellation.* superscriptio sic sonat: « Idem Gradensi patriarchæ, et S. Vitalis presbytero cardinali, » recte concluditur quod, spectato jure communi, et ubi aliud non habet consuetudo curiæ Romanæ (hæc enim cum primis attendenda est) non solum quatuor sedes patriarchales, videlicet Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, sint præferendæ presbyteris cardinalibus, can. *Renovantes*, et can. *Diffinivimus*, dist. 22, juncto c. *Antiqua*, 23, de *Privilegiis*: sed etiam sedes patriarchales minus principales, quales, juxta, Archidiaconum in can. *Cleros*, n. 20, dist. 21, sunt Aquileiensis, Bituricensis, Gradensis, et Pisana, quibus Glossa in d. can. *Cleros*. §. *Archiepiscopus*, addit Cantuariensem. Siquidem Papa in allegata superscriptione patriarcham Gradensem præponit presbytero cardinali: clarum autem est, quod superscriptiones *Decretalium* faciant jus, atque ex ipsis validum in jure depromatur argumentum. Petrus a Monte, loc. cit. n. 1 et 2.

110. *Fratres prædicatores præcedunt fratribus minoribus, cur?* — Insuper, quia cap. I, de *Decimis*, in 6, habetur isthæc superscriptio: « Gregorius Nonus fratribus prædicatoribus, et minoribus, » infert citata Glossa, quod, cum illi præponantur in dicta superscriptione, fratres prædicatores debeant præferri fratribus minoribus; prout ipsi etiam præferuntur c. un. § fin. de *Excessibus prelat.*, in 6. Idque fit ex eo, quia Ordo prædicatorum prius per Breve apostolicum confirmatus fuit, videlicet anno 1216, et pontificatus Honorii papæ III anno primo: cum tamen ordinem, ac regulam fratrum minorum, idem Pontifex primum in scriptis confirmaverit anno Domini 1223, pontificatus vero sui

anno octavo; quidquid sit de alia confirmatione Innocentii III, utpote dumtaxat vivæ vis oraculo facta.

111. *Qualitates rescriptis pontificiis insertæ, per hoc non probantur: secus de superscriptionibus capitulorum.* — Bices: Conclusioni allatæ videtur obstare c. *Si Papa*, 10, de *Privilegiis*. in 6, ubi dicitur, ecclesiam non per hoc probari exemptam, quod Papa in aliquo privilegio, vel scriptura principaliter non facta super donatione, vel sententia exemptionis, aut libertatis, eam appellet exemptam. Item Clem. *Si summus*, 4. § fin. de *Sentent. excomm.* ubi dicitur quod, si Papa quempiam sub titulo cujuslibet dignitatis, ex certa etiam scientia, verbo, constitutione, vel litteris nominet, honoret, aut quovis modo tractet; per hoc non intelligatur ipsum in tali dignitate approbare, aut novum jus eidem tribuere. Resp. conclusionem datam procedere de capitulis, eorumque superscriptionibus juri communi insertis, atque summa maturitate (resecatis quibuscumque superfluis, factisque correctionibus, detractionibus, vel additionibus, quando expedire videbatur) auctoritate pontificia in unum volumen collectis, et confirmatis. Porro præallegata capitula, *Si Papa*, et *Si summus*, etc., procedunt de rescriptis novis, in quorum impetratione præsumuntur, tales qualitates rescribenti, sive summo Pontifici prius per supplicantes esse suggestæ. Et quia ea, quæ sunt facti, atque in facto consistunt, Romanus Pontifex probabiliter potest ignorare, cap. I, de *Constit.*, in 6, hinc ejusmodi qualitates, rescriptis pontificiis insertæ, per hoc non probantur; nisi de ipsis principaliter facta fuerit mentio, juxta cit. c. *Si Papa, de Privilegiis*, in 6, aut nisi de iis aliunde doceatur. Engel tit. de *Rescriptis*, n. 8.

112. *Per Concilium generale absolute positum, et per Concilium Lateranense quale intelligatur?* — Queritur II. Cum plura capitula, præsertim, cap. I, de *Summa Trinitate*, habeant hanc superscriptionem, *Innocentius III in concilio generali*, quale concilium sub hac loquendi formula intelligatur? Resp. breviter per hoc intelligi concilium generale Lateranense, sub Innocentio III, anno Domini 1215, celebratum, quod in sacris canonibus per quamdam antonomasiam absolute dicitur concilium generale. Et hoc accidit ad differentiam alterius concilii generalis Lateranensis, quod paulo ante, videlicet 1179, sub Alexandro III, celebratum fuerat,

quodque jam antea ubique locorum absolute dicebatur *concilium Lateranense*, etiam sine ulla Pontificis mentione; prout liquet ex cap. II, de *statu monachorum*; cujus superscriptio sic habet: *Ex concilio Lateranensi*; et concordat textus in c. *Quod DEI timorem*, eod. ibi: « Licet autem in Lateranensi concilio caveatur, » etc. Et hoc totum clare desumitur ex Clem. un. de *Immunit. ecclesiarum*, ibi « in Lateranensi, et generali conciliis. » Ubi per *Lateranense concilium* intelligitur concilium generale Lateranense, sub Alexandro III celebratum, per *Generalem* vero simpliciter prolatum denotatur posterius concilium generale Lateranense, habitum sub Innocentio III, prout notat Glossa ibidem vers. *Conciliis*, et sequitur Fagnanus in c. *Firmiter*, n. 11, de *Summa Trinitate*.

113. *In jure, atque illius dispositionibus omnis verborum superfluitas est vitanda.* — Queritur IV. An in libris *Decretalium*, et aliis partibus juris, omnino nihil superfluum admitti possit? Resp. I. Non solum in libris *Decretalium*, aliisque partibus juris communis, sed etiam in aliis dispositionibus superfluitas verborum est vitanda, nec admittenda. Ita Glossa communiter recepta in c. *Solita*, vers. *Tantumquam, de Majorit. et obed.* ubi ex textu illius decretalis notanter infert, « quod nulla dictio debet vacare in rescripto (quanto magis in canone, sive in Lege communiter statuta) alioquin frustra membranas occuparet. » Et alia Glossa in can. *Si Romanorum*, vers. *Membranas*, dist. 19, ex illis verbis dicti canonis, « ut quid vel membranas occupant? » pariter concludens, « quod nullum verbum positum in aliqua scriptura debet vacare, vel superflue poni. » Idem præter jura jam allegata, clare desumitur ex Procemio *Decretalium* Gregorii IX, ibi: « resecatis superfluis: » juncto Procemio *Sexti Decretalium*, ubi pariter Pontifex attestatur compilationem illam fuisse factam « superfluis penitus resecatis: » concordat textus in L. I. § *Quibus C. de Novo codice faciendo*, ibi: « resecatis tam superfluis. » Et L. ult. c. *Qui admitti ad bonorum possess.* ibi: « Verborum inanium excludimus captiones, » cum similibus.

114. *Unde verba sunt interpretanda, ut aliquid operentur?* — Deducitur proinde primo, cum omnis superfluitas in lege, aut decreto vitanda sit, ejus verba taliter esse interpretanda, ut aliquid operentur. Patet hoc ex c. *Si Papa*, 10, de *Privilegiis* in 6 ibi: « Cum verba aliquid operari debeant. » Concordat

textus in l. *Ait prætor*, § 1, ff. de *Jurejurando*, ibi: « Nec frustra adjicitur » etc. Et l. *Si quando*, 112. § 1. ff. de *Legatis*. I. ubi proinde Glossa, vers. *Frustra*, allegatis aliis juribus concludit, dicens: « Sic nota intelligi scripturam, ut aliquid operetur, et addat. » Quod adeo verum est ut non solum verbum, aut dictio aliqua, non debeat esse sine effectu aliquid operandi: sed etiam quælibet syllaba. Sanchez, lib. III, de *Matrim. disp.* 27, n. 6, post Staphilæum, de *Litt. gratia*, tit. *De vi et effectu clausule* § 1, n. 9, et alios; et Fagnanus in c. *Tuarum*, n. 26, de *Privilegiis*. pariter docens quod in lege nec syllaba debeat esse superflua, et sine mysterio aliquid operandi; card. Tuschus litt. V, concl. 895, n. 7 et 9, post Rolandum a Valle consil. I, n. 122 et 123, lib. III, et Cravettam, consil. 294, n. 3; Barbosa *Axiomat.* 222, n. 12, cum aliis, quos citat. Idque probatur per jura hactenus allegata: et alioquin frustra ejusmodi dictio, vel syllaba, membranam occuparet.

115. *Argumentum a superfluitate vitanda est fortissimum in jure.* — Deducitur secundo quod argumentum a superfluitate vitanda fortissimum sit in jure. Petrus de Murga, tom. II. *Disquisit. moral. et Canon.* disquisit. II, num. 172, post Stephanum Gratianum, *Disquisitionum Forensium* cap. 306, n. 16. Federicus de Senis consil. 45, paulo ante finem, ubi a superfluitate vitanda fortissimum argumentum depromit, hinc inferendo quod nomine monasterii non semper intelligatur monasterium ordinis non mendicantium: quia in cap. I. § *Sane, de statu Regularium*, inquit Pontifex. « In monasteriis ordinum non mendicantium: » ergo, si ly *Monasterium*, ex sui natura, et primæva significatione, jam importaret monasterium ordinum non mendicantium, frustra Pontifex addidisset verba illa, « Ordinum non mendicantium, » et hæc forent superflua: atqui hujusmodi superfluitates sunt fugiendæ, et consequenter dicendum quod quædam sunt monasteria ordinis non mendicantium, et quædam ordinis mendicantium. Ita discurrit Federicus de Senis loc. cit. Qui modus argumentandi etiam in aliis materiis deservire poterit. Concordat card. Tuschus Litt. S. concl. 895, n. I, ubi ex eo quod verba superflua non debent admitti ad interpretationem sumendam, subinfert quod licita est interpretatio, per quam omnia verba operentur etiam a contrario, et tacito sensu.

116. *Et potius verba debent impropriari, quam quod sint superflua.* — Deducitur tertio in tantum verum esse quod verba debeant aliquid operari, atque ita interpretari ut evitetur superfluitas in ipsis; quod potius verba impropriari, et ad impropria significationem trahi debeant, quam quod sint superflua. Card. Tuschus. cit. concl. 895, n. 30, post Rolandum a Valle consil., 61, n. 16, lib. III, et Cravettam, consil., 294, n. 3, et consil. 714, n. 19. Barbosa *Axiomat.* 222, n. 22, citans plures alios: ac favet textus l. *Si tam angusti*, 13. ff. *de Servitut.* et l. *Si tibi*, 20, ff. *Si certum petatur*. Et hoc procedit etiam in odiosis, ac pœnalibus, arg. c. *Si sententia*, 16, de *Sent. excommun.* in 6. Barbosa loc. cit. n. 13, et alii.

117. *Dummodo inde non sequatur aliquid absurdum, vel iniquum; et num. 123.* — Intellige, dummodo inde non sequatur aliquid iniquum, vel absurdum: quia potius admittitur superfluitas in statuto, quam quod statuentes voluerint aliquid illicitum, et non permissum, vel absurdum statuere. Barbosa *Axiomat.* 216, nu. 10 et 11; Card. Tuschus n. 55, et seqq.; Cravetta, consil. 70, n. 26, et alii. Insuper admittitur superfluitas ne tollatur voluntas testatoris, vel disponentis: aut ne quid fiat contra mentem ipsius juxta Barbosam cit. *Axiom.* 216, num. 9, et alios. Siquidem verba sunt intelligenda, non secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis, dummodo de hac sufficienter constet: quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus; c. *Intelligentia*, 6, de *Verb. signif.*

118. *Dantur tamen casus, in quibus vel superfluitas verborum non censetur intervenire, vel toleratur; et seqq. Ut fit quando in dispositione est mixtum aliquid novi.* — Resp. II. Dantur nihilominus plures casus, in quibus vel superfluitas verborum non censetur intervenire, vel toleratur. Ita Felinus in c. *Solite*, n. 4, de *Majorit. et obed.* post Dominicum in proœmio *Decretalium*, Baldum, Imolam, et alios. Card. Tuschus Litt. S. concl. 895, n. 44, et seqq. et alii. Idque probatur inductione. Sic imprimis toleratur, vel non intervenit superfluitas, quando in dispositione est mixtum aliquid novi, arg. c. *Si tibi absenti*, 17, de *Præbend.* in 6, ibi: «Si tibi absenti per tuum episcopum conferatur beneficium,» etc. Nam idem fuisset, etiamsi alius contulisset beneficium; sicque verba illa, «per tuum episcopum,» possent videri superflua:

sed vel tolerantur, vel non sunt superflua, quia ponunt factum quod tunc acciderat, sicque habent mixtum aliquid novi. Idem accidit in pluribus aliis.

119. *Aut quando aliquid apponitur ad majorem cautelam.* — II. Expressio eorum, quæ tacitæ insunt, nihil operatur, l. *Non recte*, ff. *de Fidejussor.*, juncto summario, ac doctoribus ibidem. Idem accidit, quando alicui id, quod ei competit, de jure communi conceditur, ut mos ipsi geratur. Et tamen talia non superflue exprimentur; partim quia poni censentur ad majorem cautelam, quæ non nocet, l. *Testamentum.*, C. *de Testament.*; partim, quia «plus timeri solet, quod specialiter injungitur,» ut notatur in c. *Si adversus*, 11, de *Hæreticis*. Abbas. in c. *Licet vobis*, 4, de *Præbend.*

120. *Vel ad majorem declarationem, tollendamque sophisticam malignorum interpretationem.* — III. Hoc ipsum accidit: quando aliquid apponitur causa tollendæ dubitationis, vel ad majorem declarationem, aut ad tollendam sophisticam malignorum interpretationem. Quinimo hujusmodi verba declarativa, seu specialem cautelam continentia, revera non sunt superflua, cum habeant proprium effectum, videlicet majorem expressionem: vix etenim dispositio fieri potest tam clara, quin recipiat sophisticam interpretationem. Unde si alicubi vigeat statutum, prohibens superfluos articulos, sæpius ex præallegatis rationibus excusabitur superfluitas. Felinus loc. cit.; Card. Tuschus et alii.

121. *Seu quando per verba inculcata quidpiam disponitur.* — IV. Sæpe in legibus, et statutis semel dispositum, per verba inculcata idem importantia, disponitur; idque plus non operatur, nisi majorem declarationem. Card. Tusch. cit. concl. 895, nu. 44, post Castrensem, consil. 175 n. 2, lib. II; et verbatim sequitur Barbosa loc. cit. num. 6, citans plures alios. Sic in bullis pontificiis sæpius simul ponuntur, sive inculcantur ejusmodi verba, «uti, frui et potiri libere possit ac valeat:» quæ idem omnino, vel ferme idem significant; multiplicantur tamen ob majorem energiam, atque ad explicandum ob concedentis affectum. Suarez, lib. VIII, de *Legibus*, cap. xvi, n. 8 et alii.

122. *Quin etiam consuetudo alicubi vigens excusat verbarum superfluitatem.* — V. Superfluitatem verborum excusat consuetudo, si ubi ea introducta est inculcandi verba su-

perflua: ut si juxta receptam loci consuetudinem Notarius dicat in instrumento a se confecto: «Titius fecit, constituit, et creavit talem procuratorem.» Felinus ibidem post Speculatorem, tit. *de Procuratoribus*, § *Ut autem*, § *Sed opponitur*.

123. — Porro quod admittatur, seu toleretur verborum superfluitas, ne invertatur voluntas disponentis, v. g. testatoris, de qua aliunde liquet; atque etiam, ut evitetur iniquitas, sive ut non sequatur illicitum, vel absurdum, paulo superius, num. 117, jam dictum est.

§ VIII.

DE DECLARATIONIBUS CARDINALIUM, DECISIONIBUS ROTE ROMANÆ, ET AUCTORITATE GLOSSÆ.

124. *Declarationes cardinalium, quæ? Est prohibitum in decreta concilii Tridentini glossas, ullumve interpretationis genus edere.* — Quæritur I. Quid sint declarationes cardinalium, et quando fidem faciant? Resp. I. Declarationes cardinalium aliud non sunt quam interpretationes decretorum concilii Tridentini ad reformationem morum pertinentium, factæ a sac. Congregatione cardinalium in hunc finem per Romanos Pontifices instituta. Nam cum Pius IV, in bulla confirmationis sacri et œcumenici concilii Tridentini, quæ incipit, *Benedictus Deus*, data Romæ 16 Februarii 1564 (et refertur circa finem ejusdem concilii) ad vitandam perversionem et confusionem, quæ oriri posset, si unicuique liceret pro libitu in decreta concilii commentarios et interpretationes suas edere: auctoritate apostolica «omnibus et singulis inhibuerit, prælati quidem sub interditi ingressus Ecclesiæ, aliis vero sub excommunicationis lætæ sententiæ pœnis, ne quis sine auctoritate Romani Pontificis audeat ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumve omnino interpretationis genus super ipsius concilii decretis quocumque modo edere, aut quidquam quocumque nomine, etiam sub prætextu majoris decretorum corroboracionis, aut executionis, aliove quæsito colore, statuere;» sed, si quid obsecutus in iis dictum, et statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione, aut decisione aliqua egere videbitur, ad Sedem apostolicam recurratur, prout uberius in citata bulla continetur.

125. *Sed hoc specialiter concessum sac. Congregationi cardinalium; et qua ratione?*—Hinc

idem Pius IV, motu proprio eodem anno, die 5 Augusti emanato, qui incipit: *Alias nonnullas* (et habetur tom. II *Bullarii Romani*, constit. 81 dicti Pontificis) imprimis instituit congregationem S. R. E. cardinalium super executione, et observantia sacri concilii Tridentini. Deinde Sixtus V, ut decreta concilii Tridentini, ad mores, disciplinamque pertinentia, eo magis ab omnibus observarentur, in sua constitutione quæ incipit: *Immensa*, 1587, 11 Cal. Februarii edita (ac refertur cit. tom. II *Bullarii*, constitut. 74, dicti Pontificis) § *Deo autem Patri*, ampliavit potestatem memoratæ sac. Congregationis cardinalium; eidemque insuper concessit facultatem interpretandi decreta ejusdem œcumenici concilii Tridentini, quæ de morum reformatione, disciplina, ac moderatione, et ecclesiasticis judiciis, aliisque ejusmodi statuta sunt, si quando in ipsis dubietas, aut difficultas emerit: ita tamen, ut hoc fiat consulto prius Romano Pontifice, sive (ut idem Papa loquitur) «Nobis tamen consultis:» simulque eorum decretorum quæ ad fidei dogmata pertinent, interpretatio, ipsimet Papæ reservata maneat; prout amplius habetur in præfata constitutione Sixtina.

126. *Declarationes cardinalium fidem non faciunt, nisi offerantur in forma authentica.* — Resp. II. Declarationes cardinalium fidem non faciunt, nisi offerantur in forma authentica. Ita communis, et ratio est, quia cum olim plurimas falsas, et quandoque inter se contrarias hujus sac. congregationis declarationes circumferri compertum fuisset: eadem sac. congregatio, de speciali jussu Urbani Papæ VIII, anno 1631, mandavit et præcepit: «Hujusmodi declarationibus, tam impressis et imprimendis, quam manuscriptis, nullam fidem esse in judicio, vel extra, a quoquam adhibendam: sed tantum illis, quæ in authentica forma, solito sigillo, et subscriptione Eminentissimi cardinalis præfecti, et secretarii ejusdem congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. In quorum fidem, etc. Datum Romæ die 2 Augusti 1631.» It. verbatim sonat citata specialis Declaratio ejusdem sac. congregationis, quam per totum refert Barbosa lib. I, *Juris ecclesiast. univ.* cap. iv, n. 83, cujus etiam meminit Ludov. Engel in proœmio *Collegii juris canonici*, n. 16; Card. de Luca in *Annotat. ad concilium Tridentinum*, Discurs. I, n. 17; Lantusca in *Theatro regu-*